



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Sectio XVII. Accomodatio Notarum Superiorum ad Sententias atque usus  
Gallicanos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)



## SECTIO XVII.

## Accommodatio Notarum Superiorum ad SENTENTIAS atque USUS GALLICANOS.

ET si facillimum sit *Notas* præcedentes circa Concilia Generalia, applicare Sententiis atque Usibus Gallicanis; tamen operæ pretium erit aliquot afferre exempla hujus applicationis in certis capitibus, quibus illa facilius evadet in reliquis: iis vero, qui parùm cognoscunt eos Usus, ad eos plenius discendos invitabuntur. En igitur exempla per modum Observationis.

Eadem loca, quæ docent, Imperatores, per *Novem* Sæcula, non injuriose Concilia Generalia, probant, Principes non injuria sibi vindicare facultatem; 1. Convocandi Concilia Particularia ditionis suæ, 2. Impediendi, ne Episcopi ejusdem ditionis ullum, sine licentia sua, Conventum habeant: 3. Impediendi, ne iidem Episcopi è finibus suis egrediantur, ad commeandum ad Concilia, extrâ eosdem fines convocata, sine sua participatione; nam rationes, quæ militant pro Imperatoribus, Principibusque favent. Hæ sunt 1. Quod ii, quos convocabant, subditi ipsorum erant. 2. Quod ipsum referret, ut Ecclesia pacaretur; quia turbæ circa Religionem, sæpè discordias gignunt, circa Imperium. 3. Quod erant Protectores Religionis, quibus incumbat circa eam in statu optimo conservare; quod fit per Concilia. Porro, manifestum est has valere erga Principes, quoad tria jura prædicta, idè, quod Concilia Particularia, quæ in illorum ditionibus habentur, ex eorum subditis componuntur: quod controversiæ circa Religionem non minùs Regnum, quam Ecclesiam labefactent; &, quod Dignitas Principum non minùs eos faciat Tutores Ecclesiæ, quam olim erant Imperatores.

Jus assignandi Locum celebrationis Conciliorum, & Tempus præniendi, accessorium est juris ea convocandi: undè sequitur, testimonia, quæ probant Imperatores Orientis assignavisse Locum, & Tempus celebrationis Conciliorum Generalium, ostendere quoque, Principes idem posse erga Concilia Particularia Nationis suæ. Porro, in Conciliis in Gallia habitis, maxime sub *secunda* Regum progenie, cernitur, eos quintuplici hoc jure potitos esse erga Concilia Particularia, sicut Imperatores olim erga Concilia Generalia. Probationes referuntur in nostris Quæstionibus Historicis, circa Concilia Nationalia. Plures earum retulit D. DE MARCA in suis Libris de *Concordiâ*.

Quemadmodum Imperatores, utendo jure determinandi Locum celebrationis Conciliorum, quædam habuere in Palatio suo; qualia sunt *Quintum*, *Sextum*, & quod dicitur *Quini-Sextum*, ita plures Galliæ Reges Concilia Particularia Regni sui habuere in Palatio suo; talia sunt *Vernense*, *Verberienſe*, *Compendiense*, *Aquisgranense*. Multæ rationes suadent Præfidentiam Concilii Niceni, quam habuit Osius Cordubensis, ipsi delatam fuisse per electionem Concilii cum beneplacito Imperatoris; neque enim credimus eum fuisse Legatum Pontificis. 2. Non habuit Præfidentiam ratione sedis suæ; cum Episcopus foret tantum, & Concilium non haberetur in ejus Diocesi. Porro, exemplum hoc favere videtur Gallicano usui, circa Præfidentiam Conciliorum Cleri.

Quot probationes attulimus assistentiæ per Procuratorem in Conciliis Generalibus, tot habemus fundamenta moris Cleri Gallicani assistendi Comitibus per Procuratorem: nam Deputati, tam primi, quam secundi Ordinis, nihil aliud sunt, quam Procuratores Provinciæ suæ. Quod relatum fuit de modo opinandi per Nationes, in quibusdam Conciliis Generalibus usurpato, simile est usui eorundem Comitiorum, opinandi per Provincias. Cir-

ca *Opiniones*, & *Subscriptiones* Conciliorum Generalium, notavimus, quod, ex earum dispositione, noscatur Ordo Sessionis Patrum, quem Dignitati respondere probavimus. Porro, hunc Ordinem partim sequuntur subscriptiones Comitiorum; nam Archiepiscopi semper & ubique præcedunt Episcopos. Loquendo de *Actis* Conciliorum, multa observavimus, quæ perfectè congruunt Relationibus Comitiorum Cleri, ita, ut hæ videantur dispositæ juxtâ methodum Actorum Conciliorum Orientalium; quæ divisa erant in *Actiones* aut *Collationes*, in quibus ea reperiuntur, quæ in eis gesta, aut dicta fuere, Instrumenta, quæ fuerunt lecta, Orationes, quæ habitæ fuerunt, denique Opiniones Patrum: Relationes autem Comitiorum in Sessiones distribuuntur; quæ nonnisi nomine differunt ab Actionibus aut Collationibus. In singula *Sessione* cernuntur ipsius gesta, cum Orationibus, Concionibus &c. habitis, Instrumentis, quæ lecta, Quæstionibus, quæ propositæ fuere, denique Opinioni- bus Deputatorum.

Quod observatum fuit circa Confirmationem Decretorum Conciliorum Generalium à Pontifice petitam, applicare sententiis Gallicanis superfedemus; quia id jam eo loco præstitimus, dicendo, Ecclesias, quæ arbitrantur Concilium Generale esse supra Pontificem, debere consequenter tenere, quod Decreta Conciliorum Generalium non indigent confirmatione Pontificia; Ecclesiam, porro, Gallicanam, ex earum numero esse. Adjecimus, earum sententiam confirmari per praxim omnium Conciliorum Generalium, excepto *Tridentino*, quod unicuique petiit à Pontifice confirmationem definitionum & Decretorum suorum. Verum hanc applicationem, ejusque fundamentum hic refricuisse haud erit inutile. Observabimus præterea, quod, Patres Tridentini qui petierunt confirmationem Pontificiam, id fecerunt ex mero obsequio; nam historia hujus Concilii docet eosdem Episcopos Hispanos, sedi Apostolicæ devotissimos, putavisse, Concilium esse supra Pontificem, ita, ut quidam eorum id à Concilio declarari statuerint. *Petri SUAVIS Hist. lib. 5. pag. 403.* Vel, si alia fuerit causa istius rogationis, quod ea facta sit postquam plures ex Doctissimis & veritatis studiosissimis discessissent.

Quoad *Acceptationem*, jam notavimus *Tit. IV.* Concilium *Basileense* agnovisse justitiam & veritatem Sententiarum & Usuum Galliæ, juxtâ quos nulla datur autoritas Decretis Conciliorum Generalium, priusquam illa recepta ac promulgata fuerint; hoc unum adjecimus, testimonia supra relata de praxi Sæculorum priorum circa hanc rem, eandem Sententias confirmare.

APPENDIX circa præcedentes *Notas*.

## SECTIO I.

*Confirmatio sententiarum D. DE MARCA circa Libertates Ecclesiæ Gallicane inique impugnatarum.*

CUM, in suscepto Opere, de propugnandis Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus unice agatur, inutile est respondere cavillationibus Criticorum, circa originem Librorum de *Concordia Sacerdotii & Imperii*, methodumve eorum artificiosam. Etsi enim hæc falsa esse ostenderent, nihil præsidii Libertatibus accederet, sicut ab earum firmitate nihil detractum ibit, quamvis ea extrinseca vera esse confiteri cogeret. Satis superque autoritatis habent à se ipsis Libertates, nec ab eorum, qui eas defen-